

21  
22

VIRO CLARISSIMO  
IOANNI IACOBO GRIESBACH

PHILOS. ET LIBERAL. ARTIVM MAGISTRO ET SOCIETATIS  
ACADEMICAE PRINCIP. HASSIACAE SOC.

INITIVM LECTIONVM SVARVM,  
FAVSTISSIMIS AVSPICIIS INSTITVTARVM  
GRATVLATVRVS

COMMENTATIVNCVLAM

DE

CODICE ALEXANDRINO

SCRIPSIT

FRIDERICVS ANDREAS STROTH

ALVMNOR. REG. INSPÉCTOR ET SEM. REG. THEOL. SENIOR.



---

HALAE

LITTERIS HENDELIANIS.

VERBODEN TOEGANG TOEGANG TOEGANG

VERBODEN TOEGANG TOEGANG TOEGANG

VERBODEN TOEGANG TOEGANG TOEGANG

VERBODEN TOEGANG TOEGANG TOEGANG

VERBODEN TOEGANG TOEGANG TOEGANG

VERBODEN TOEGANG TOEGANG TOEGANG

VERBODEN TOEGANG TOEGANG TOEGANG





§. I.



**A**mplius adhuc nobis campus incultus patet, circa crisin  
N. T. Adest codicum numerus haud exiguus huedum  
a nemine inspectorum; magna pars eorum, quos iam  
cum edita recensione contulere MILLIVS, BENGELIVS,  
WETSTENIVS, tam negligenter trattata est,  
vt non solum magna pars vv. ll. quas exhibent sinistre indicata fuerit, sed  
etiam harum numerus haud leuis plane praetermissus sit: quod et ipse fa-  
tetur WETSTENIVS, et testaris IPSE VIR CLARISSIME cui licuit  
adire tales codd. iam a WETSTENIO collatos. Sed et multa supersunt,  
circa ingenium codicum cognitorum obseruanda, viam monstrante S. V.  
SEMLERO, in προπαρασκευη hermeneutica, quae non parum conferunt,  
ad veram in singulis locis lectionem determinandam. Videre nos oportet,  
num codex sit negligenter num accurate descriptus? num glossematibus  
mul-



multis scateat, sine minus? quid valeat addendo? quidue subtrahendo? cum quo alio maxime cognatus sit? num mutationes suae genuinum textum aut artem potius humanam redoleant? num plus in eo consilio aut lapsu oculorum auriumque peccatum sit? et alia huius generis plura. Ad hanc rem pluribus Commilitonum commendandam, periculum speciminis cuiusdam, circa cod. a WETSTENIO A. nuncupatum faciamus.

§. II.

Codicem A. sine *Alexandrinum* negligenter descriptum esse, neminem fugere potest, nisi qui ne vnum quidem apertissimorum huius rei documentorum cognouerit. Iam GATAKERVUS (1) non praecclare de eo iudicauit, BENGELIVS ipse, qui nimium alias huic codici patrocinatur, fatetur eum vitis non carere (2) neque WETSTENIVS, qui de eo scripsit (3); plurimos errores in scribendo commisit librarius, talesque qui vel supinam negligentiam, vel ingenium potius luxurians et in re ferria luxurians produunt — quae aberrationes — in hominem libros sacros religiose tractantem, vix cadere posse videntur. Sed egregie etiam S. V. SEMLERVS (4), notauit, vitia a WETSTENIO ex V. T. adducta, non tam ingenio luxurianti descriptoris, quam potius eiusdem oculis, compendia scribendi non rite legentibus tribuenda esse. Tamen descriptorem huius codicis non omnem quae decebat ἀκριβειαν adhibuisse, pluribus exemplis demonstrari potest; e quibus ob spatii angustiam pauca tantum adducimus.

Rom. V, 10. 11. omittit post verba comm. 10. κατηλαλημεν τῷ Θεῷ; „διὰ τὴ θανάτου τῆ υἱοῦ αὐτοῦ, πολλὰ μάλλον καταλλάσσοντες σωθῆναι, ὡς μεθεῖ ἐν τῇ ἔσφι αὐτοῦ. Οὐ μόνον δε, ἀλλὰ καὶ κενυχαμένοι ἐν τῷ Θεῷ.“ certe verba allata ad textum genuinum pertinent; adeoque omisit librarius ob lapsum oculorum, et quidem haud leuem: sine dubio vero

ver-

(1) Aduersar. misc. posth. cap. 4 et 17.

(2) Appar. Crit. p. 32 et 33.

(3) Prolegom. p. 12.

(4) In den Hermeneut. Vorbereit. St. III. pag. 62. et in Prolegom. Wetst. edit. Semleri ad h. l.

verba omiſſa duos *συχς* conſtituebant; quorum poſterior voce *Θεω* finiebatur ſicut iſte qui antecedebat; inde librarius ad tertium *συχον* delapſus eſt. 1 Cor. VI, omittit commata 3. 4. 5. 6. generaliter referente WETSTENIO; at conſpicere auſim WETSTENIUM hic non accuratiſſime rem ſuam egiſſe. Comprehendi enim nequit, quomodo tota haec commata omiſſa ſint, dum certe in Alexandrino iſta commatum diſtinctio, eodem modo quo nunc in receptis editionibus, non deprehenditur; neque commata 2 et 6 *ὁμοιοτελευτα* ſunt, neque 3 et 7 eodem verbo incipiunt. Conſpicere igitur vellem, a voce *κρινεται* comm. 2 ad vocem *κρινεται* comm. 6 deficere verba intermedia; quae circiter tres aut quatuor *συχς* conſtituere. Sed ſit vt ſit, apparet tamen librarium hic nimis negligentem fuiſſe, cum tot *συχς* praeteruiſiſſet; cuius generis negligentia raro in aliis codd. deprehenditur. Rom. XI, omittit totum comma 12 forſan quia commata 11 et 12 eodem pronomine terminantur. 1 Cor. IX, 1. 2. omittit omnia quae inter *ἐν κυρια* commat. 1. et *ἐν κυρια* commat. 2. interiacent: quod non minus apertuſſimum negligentiae documentum eſt. Rom. XI, 33. legit *ἀνεξεργασνητα* pro recepta lectione *ἀνεξεργασνητα*; quam omnes codd. tenent; cumque verbum quod exhibet h. l. A plane non eſt graecum, hoc non ſolum deſcriptoris negligentiam, ſed etiam graecae linguae imperitiam prodere videtur; quae ſuſpicio, omiſſionis iſto 1 Cor. VI, 3-6. exemplo, aliisque confirmari poſſit. Operae certe pretium eſſet, ſi problema hoc diligentius excuteretur, numne deſcriptor huius cod. fuerit homo latinus, non valde graece doctus?

### §. III.

Librarius de ſuo addidiſſe non videtur; ſicut fecit deſcriptor cod. D. ſeu Cantabrigienſis, praefertim in Aët. Ap. et alii ſparſim. Additiones enim huius Alexandrini illi rariffime ſoli propriae ſunt; quod tamen accidere debet, ſi additamentum librario debetur. Pauca huius generis exempla aegre inuenire potui; Luc. IX, 10. poſt *ἐπιτησαν* ſolus A. addit *και οσα εδιδαξαν*, 1 Corinth. XIV, 34. poſt *ὑποτασσεσθαι* ſolus addit *τοis ἀνδρασιν*, quod artem humanam abunde redolet. Sed ex his exemplis, (et ſi vel pauca praeterea ſuperſeſſent,) (ſ) conſici nequit, librarium de

(ſ) Quo forſan pertinere aliquo modo poſſit Aët. XX, 18. vbi poſt *αυτον* A addit *ομας εοντων αυτων*. ſimile tamen additamentum etiam habet

suo glossemata codici adieciſſe, quae iam in ἀντιγραφή quod descripsit, inuenit. Hinc porro rite concludo, criminationes quae huic codici ob glossemata sua obiiciuntur, non tam in eum stricte, quam in istud potius exemplar cadere ex quo descriptus est. Exemplar hoc optimae notae non fuisse additiones fat multae suadent, quae in A. reperiuntur; ex quibus id certo constat, illud non attigisse initium sec. II. tamen vero etiam fatendum est, additiones huius cod. qua maximam partem perantiquas esse; quod ex codicum, versionum, patrumque vetustiorum in illas consensu patet. Sic v. c. addit 2 Cor. III, 14, post σημερον, vna cum C. D. E. F. G. et VI aliis ἡμερας, quod et in *Vulgata*, *Copta*, *Syra* post. *Clemente Alex. Origene* aliisque inuenimus. Elliptica haec phraſis saepe occurrit; vt Matth. XI, 23. XXVII, 8. XXVIII, 15. Act. XIX, 40. Additamentum hoc fat antiquum esse, facile cuique patet. Eodem modo, eandem vocem Matth. XXVIII, 15 addunt D. L. *Vulgata* et *Syra*. Non aderat autem ratio omittendi si adfuiſſet, cum nemo facile librariorum talem vocem, quae ad sensum explendum pertinere videbatur, superuacaneam iudicaret. 1 Cor. V, 5. addit post νεκρῶν cum F. G. 10. 31. 37. 43. ἡμῶν, et post Ἰησοῦ cum iisdem, accedentibus D et E Χριστοῦ. Vtrumque additamentum etiam exhibent *Vulg. Syr.* prior et post. cum asterisco, *Copt. Aeth. Arab.* Additamentum autem peruulgare et vltatissimum est. Col. II, 13. addit post συναζωποιοῦσε vna cum E et XXI. aliis accedente *Syra*; ὑμῶν glossarius oblitus erat iam semel ὑμῶν adfuiſſe; alii legunt ἡμῶν, *Aldina* editio absurde συν ἡμῶν. Act. XX, 23. addit post διαμαρτυροῦμαι. cum CDE et IX aliis. *Vulg. Syr. Copt. Athanasio, Chrysoſt. Basil. μοι*, quia ad sensum explendum necesse videbatur. Sed quid iuuat plura exempla addere (6)? quod facile possemus, nisi spatii rationem haberemus; cuique additiones huius cod. accuratius perponderanti, facile patebit, maximam illarum partem iam finem seculi II. fere attingere. Operae tamen pretium est, adhuc exemplum subiungere; vbi iure addit noster cod. A. nimirum

1 Pet.

bet D. E et *Vulg.* contra legunt διοδομαθον. Rom. V, 2. † εν ante τη πιζει quod tamen et Theophylactus legit.

- (6) Additionis (ex mea saltem sententia) antiquissimae exemplum in A inuenio 1 Pet. I, 23. vbi A cum omnibus fere codd. legit ζωντος Θεου, vnicus cod. 36 omittit Θεου et quidem recte, vt mihi videtur, ζωντος enim et μενόντος ad λογος non vero Θεου referri debet.



1 Pet. II, 2, post ἀνέζηθητε addit εἰς σωτηρίαν. cum eo faciunt C. et XXIII alii. Vulg. Syr. vtraque. Copt. Aethiop. Clemens, Origenes, Hieronymus, Cyrillus, Damascenus. Additionem probant GROTIUS, BEN-  
GELIUS, CASTALIO, HAMMONDVS ET WETSTENIUS; qui putat expunxisse hanc phrasin qui putarent, hoc pacto infantes a salute excludi. At mihi quidem probabilius fere videtur, omissam esse, quia sequens vox εἰς τὴν iisdem litteris incipit.

§. IV.

Id praecipue laudandum videtur in nostro codice, quod non tam saepe quam magna pars aliorum codicum addat nomina Θεος, Κυριος, Ἰησους, Χριστος, pronomina αὐτος, εἶρος aliaque praecipue personalia, porro articulum particulasque; και, δε, εἰ, μεν etc. (Cicet non penitus careat his solitis additamentis) contra potius saepe omittat e. c. Marc. II, 13. Act. XX, 25. 1 Cor. V, 4 bis, 2 Cor. IV, 6. 10. Col. I, 28 etc. In genere de eo praedicandum est, quod haud pauca omittat; quae in multis aliis inveniuntur; et vel solus haud raro, praesertim articulum et particulas. Sic v. c. 1 Pet. II, 5. omittit τῶ ante Θεῶ, cap. V. 17. ὁ ante καιρος 2 Pet. I, 10. ποτε post πτωσιγητε, quod tamen non recte, et quidem per negligentiam descriptoris, circa syllabam τε, qua vtraque vox fiebat, errantis, factum puto; similiter 2 Pet III, 22. δε, post συμβεβηκε, per eandem negligentiam in A. omissum videtur. Rom. XV, 23. idem solus omittit τὸ ante εἰθεῖν, quod rectum iudico, qui enim habent reliqui codd. ex versiculo antecedente habere videntur; ibidem v. 24. omittit τὴν ante Σπανίαν; minus recte; similiter 2 Cor. I. 13. α̅ ante ἀναγνωσκέτε iniique; sed verbum hoc littera α̅ incipiebat, quod seduxit librarium. Sufficiant haec, ad codicis indolem ab hac parte cognoscendam; videmus inde illi non tuto fidendum esse, si solus minuitores tales voces omittit, maxima pars enim harum omissionum fugitivo librarii oculo debetur. Sed addere lubet alias omissiones paulo maiores, quae vel A. soli propriae, vel illi cum aliis communes sunt. 1 Corinth. XIV, 18. omittit solus λαλων et comm. 26. ὑμων et Matth. XXVI, 18. ὁ διδασκαλος λεγει; de quibus omnibus iudicium suspendo; quod posteriorem locum attinet, verba quidem sunt, cuius generis alibi non raro addi solent; sed potuerunt etiam in A. omitti, quia sequens propositio similiter cum ὁ incipiebat; vellem lu-  
benter

benter haec pro glossate habere, si vel vnus etiam alius cod. ea omittet, si vel maxime in A. essent; at huic codici, qui tali modo non infrequenter omittere solet, vti §. 2. indicavi, hac in re fidem praebere tuto nequeo. Similiter fere iudico de loco 1 Pet. I, 22. vbi solus A. cum quibusdam codd. Latinis omittit *καθαρὰς* ante *καρδίαις*.

§. V.

Sicut A. in additionibus suis rarissime secum habet C. seu *Ephraëem*, ita contra hic saepius cum illo facit in omissionibus; saepe etiam vna cum A. omittunt DFG. maxime in epistolis Pauli, interdum etiam E. *Vulgata, Copta, Syra et Origenes*. Inter L.II. 78 A. omissiones, inueni XXXIII. etiam in C. XXXI. in D; XVII. in E. XXIV. in FG. etc. Et certe his modo nominatis in omissione vocis cuiusdam conspirantibus, tanta mihi enasci videtur certitudo, vt legem sancire vellem, si liceret. *Lectio, quam non habent ACDE, Vulgata, Syra, Copta, Origenes; aut vel tantum non AC, Copta, Origenes; expungenda est.* Exemplis quibusdam rem illustrare conabor. 1 Cor. V, 1. omittunt ACDEFG. 6. 46. (qui non raro in epistolis memorabiles lectiones ostendit) *Vulg. Copt. Aeth. Orig. Hieron.* alique *ἐνομαζεται*. certe glossema est, ad sensum explendum adpositum; breuior lectio hic praefertenda (7). Col. II, 11. omittunt iidem *των ἀμαρτιων*, quod et iam *Clemens Alex.* non legit. Nempe explicatio *της σαρκος* est, huic voci superaddita. Iidem accedente *Armena* et cod. 47. Rom. XI, 6. rectissime omittunt *ἐι δε ἐξ ἔργων, ἐνετι ἐσι χαρις ἐπει το ἔργον ἐνετι ἐσι ἔργον*. nempe hic mos, valde apud multos inualuit, addere contrarium; (quod quilibet etiam simplicissimus homo potest, quis enim non, si scriptum est *Θεος ἐστιν ἀγαθος* adiciere potest *καὶ ἐ κακός*?) vti exemplo etiam Rom. VIII, 1. do-

(7) *Wesselenii* Can. IX. in libellis crit. p. 62 sqq. quem Canonem Venerabil. *Gedanenses* in Voiam. I. Sect. V; *relationum theologic.* p. 395 *Semlerianam consuetudinem* salutant mihi quae tanquam crimen ali-quod obiciunt. Vtinam inter alias obiectiones minus fundatas, quas hic refellere locus non est, non dixissent p. 398 me vsum esse tanquam argumento, ista vana spe; "fore, vt aliquando codex inueniretur, qui nostram hypothefin exhibeat." Dixi hoc quidem quasi in transitu; sed hoc tanquam argumento vti, nunquam mihi in mentem venit; quod et cuique legenti facile patebit.

docemur; et in hoc loco A. recte omittit *ἀλλὰ κατὰ πνεῦμα*, licet priorem propositionem teneat, quae tamen in CDFG. Versionibus et *Origene* frustra quaeritur; additamentum enim erat antiquius posteriore. 1 Cor. X, 28. omittunt dicti codd. accedentibus 10. 28. 46. dictaeque versiones cum quibusdam P. P. *τὸ γὰρ κρεῖττον ἢ γη καὶ τὸ πληρωμα αὐτῆς*, quam in hoc cogitationum Pauli ordine absurdam (8) lectionem plerique codd. ex comm. 26. transtulerunt; quia haec propositio ibi post *συνειδήσιν* sequebatur. Additamentum hoc iam multi reiicere, quos inuenies apud *WESTENIUM*, ad h. l. quibus se addixit S. V. *SEMLERVS* (9). Rom. XV, 24. omittunt ACDEFG *Vulg. Copt. Syr. Origenes, Chrysost. Damascenus, Hilarius et Rufinus. ἐλευσομαι προς υμας*; rectissime; superuacaneum ferioris aevi additamentum est; glossator haud desipiens, saltem ex sua sententia, recte concludit, si Paulus in transitu videbit Romanos, certe veniet ad Romanos. 1 Pet I, 22. omittunt A. C. 27. 29. *Vulg. Syr* utraque. *Copta Aeth. et Hieronymus. δια τὸ πνευματος*; ibidem comm. 23. omittunt AC 27. 29. *Copt. Syr.* poster. codd. Latini, *Cyrellus et Hieronymus εἰς τὸν αἰωνα*; alii legunt *εἰς τὸς αἰωνας*, alii *εἰς αἰωνα*; additamentum est quam maxime solitum. Act. VIII, omittunt ACG. cum XXXI. aliis et versionibus, totum comma. 37. non immerito; additamentum dogmatici cuiusdam videtur, sed peruetustum, dum iam est apud *Irenaeum*. De lectione Act. XX, 15, ubi A. C. E. 15. 18. *Copta et Hieronymus* omittunt *καὶ μενάντες ἐν Τρωγυλλῶ* iudicare non audeo; miranda est hoc loco codicum variatio in voce *τρωγυλλῶ*. Quibusdam etiam in locis, sed rarissime textus *τὸ A.* antiquior videtur, ac  
textus

- (8) Dixi absurdam; nullum enim fundit h. l. sensum. comm. 26 Paulus hac propositione vitur, ad probandum, nullum cibum per se damnare hominem; "nam Dei creatura est, inquit, qui ista homini in usum dedit; propterea comedere potestis omnia; si autem quis vobis dixerit, hoc est idolothyrum, tunc non comedere deberis coram aliis, qui hac re offenderentur;" sed quid nunc ratio haec? Terra enim est Domini; contrarium antea probauit.
- (9) In den Hermeneutischen Vorbereitungen. St. IV. p. 77, 84 et in Paraphrasi epistolae I. ad Corinth. in h. l.

B



textus C. v. c. 1 Pet. II, 19. A. cum recepta recte legere videtur, ubi contra C. cum VII. aliis codd. et Syra addit *παρὰ τῷ Θεῷ* post *χρῆσις*. Id tandem ex his omnibus videmus; licet τῷ A. non temere fidendum sit, si solus omittat, praesertim in ὁμοιωτέλευτοις et minutioribus vocibus, magnum tamen illum pondus habere in omissionibus, si alii codd. praesertim C. et versiones cum illo faciant.

## §. VI.

Magna etiam variationum in A. pars haud contemnenda est; hic quoque per saepe secum C. habet. Variat autem maxime ita, ut vel verbum simplex pro composito ponat et vice versa. v. c. 2 Cor. IV, 4. *διουγασσαι* pro *ἀνυγασσαι* 1 Cor. V, 2. *ἀρθῆ* pro *ἐξαρθῆ*. Iac. V, 16. *προσευχεθε* pro *ἐνυχεθε*. Luc. IX, 51. *ἔλθων* pro *ἔισελθων* etc. vel quod pro nomine *Θεός* aliud quoddam legat (10); v. c. Iac. III, 19. *κυριον*, quod et C. *Syr. Copt. Itala* habent Aët. X, 33. *κυριε* pro *Θεε* posteriori, accedit C. et Versiones. Rom. XV, 19. *ἀγυε* cum D. F. G. *Vulg. Copt. Syr. 2. Origene* et *Athanasio*. et in celeberrimo loco Aët. XX, 28. *κυριε* cum D. aliisque *Syra 2. Copta* et *Origene*, in hoc loco certe aut *Θεε* aut *ιδις* falsum; lectionem quidem *Θεε* Pauli mos loquendi adstruere videtur; et tunc conicere vellem pro *ιδις* aut *υε* aut *τιμυε*; quoniam autem hoc nimis audacter sit, neque necesse esse, Paulum semper phrasi *ἐκκλησια τε Θεε* usum fuisse, maxime probabile mihi videtur *Θεε* esse falsam lectionem, quae originem forsitan *Anti-Nestorianis* aut *Arianis* debet, conferantur quae WETSTENIUS ad hunc locum, praesertim ex *Athanasio* concessit. S. V. SEMLERVS (11) omnino nomen substantiuum reiecit. Aët. XXI, 20. tamen noster cod. cum CE. aliisque et versionibus legit *Θεον* pro *κυριον* de qua lectione breuibus sententiam quidem meam exponere non possum.

Alia pars mutationum in nostro cod. in eo consistit, quod indicatiuum pro coniunctiuo, et vice versa ponat; quod qua maximam partem lapsu


- (10) Luculentum hoc vetustioris textus documentum est; nam post sec. IV et V, agitata iam Arianorum et Nestorii causa demum tam saepe *Θεός* pro *κυριος*, *χριστος* et aliis nominibus in N. T. inuenimus.
- (11) In *libellis Wetstenii* pag. 72.

lapsum aurium factum puto; cui etiam tribuo istas mutationes tam saepe occurrentes, *τε υμεις* in *ημεις* et vice versa, cui porro tribuo illas variationes i Cor. V, 8. *ετυθη* pro *εθυθη* quod et DFG. habent. Col II, 4. *μηδεis* pro *μη τις*. Col. II, 2. *παν το πλετος* pro *παντα πλετον* etc. Non desunt vero etiam exempla, ubi variationes in A. occurrentes, data opera factae sunt; licet non ab ipso librario qui A. descripsit, sed iam antea adfuerit. Sic v. c. Act. XXVII, 34. A. legit cum C. *Vulg. Syr. et Aeth. απολεται* pro *πεσειται* illud explicatio huius vocis est. i Cor. V, 2. AC. aliique cum *Origene* legunt *πραξας* pro *ποιησας*; forsitan vnum horum ortum suum traxit ex versione quadam (12). i Corinth. XIII, 2. habet A. *ωφελουμαι* pro *ειμι* certe non ex errore, sed ex cominat. 3. consilio. Recte contra legit A. Act. XX, 7. *ημων* pro *μαθητων*, et comm. 8. *ημεν* pro *ησαν*; nempe posterius erat serior textus ecclesiasticus. Saepe etiam A. in temporibus verborum variat; ita ut vel augmentum omittat aut addat; vel ex futuro faciat praesens, et contra; saepissime etiam verborum structuram mutat. De his omnibus exempla addere facillime possem, nisi spatii angustia quae me iam premit, prohiberet.

Promitterem forsitan, me olim vberiores obseruationes, non de hoc solum codice, sed etiam quam maxime de C. (13) aliisque quibusdam,

B 2


- (12) Sicuti etiam explicari possit locus 2 Cor. III, 13. ubi A cum *Vulgata* legit *προσωπον* pro *τελος*; nempe *faciem* et *finem* permutatum fuit.
- (13) Codex hic maximi fere ponderis est; dolendum quod partim multa in ora superiore abscissa sint, partim multae paginae deficiant, partim non omnia (ob superscripta opera *Ephraemii Syri*) rite legere possint, quod et *Weslenio* non raro accidit, cuius generis exemplum inuenisse puto 2 Cor. IV, 7. vsque ad finem. Rarissime hic cod. addit, quando autem addit plerumque cum illo facit A et alii multi (aut verae lectionis, aut antiquissimi additamenti indicium). Omitit contra multa glossata, et hic plerumque secum habet A. sicut et in mutationibus. Hinc huiusmodi fere horum codicum genealogia duci possit.





et lectionibus *Origenis* collecturum esse; nisi tale quid multo melius ex TE et sperari et expectari possit CLARISSIME GRIESBACHI! Nuper Bibliothecas Angliae et Galliae vidisti; thesaurumque ex his haud exiguum collegisti ad augendam exornandamque rem criticam. Ipse adamantina diligentia opera maximi post Apostolos Christiani doctoris *Adamantii Origenis* perlegisti, et quidem *κρηματοτάτω* oculo. Iam fructum laborum tuorum nobis communicasti; ostendens quaenam adhuc ex TE expectanda sint rei criticae augmenta, atque amplificationes. Gratulor TIBI redditum in patriam felicissimum; gratulor TIBI initium lectionum, faustissimis auspiciis iam factum Gratulor Almae nostrae Fridericinae TANTVM VIRVM, ex eius placido solidoque instituendi more plus incrementi certe capiet, quam ex crudae demonstrantium atque haereticorum, (*των δεικντων τυλοι και πανσοφοι ειναι*) cohortis *πολλω* *δορυβω*, vnquam vlla bonarum artium sedes expectare possit. Gratulor tandem et mihi, quem dignatus es defensionis doctissimae TVAE dissertationis participem facere. Nunquam hoc TVAE erga me benevolentiae documentum obliuiscar. Vale! atque vt nunc, ita mihi semper faue, Scripsi Halae d. XXVIII. Septembris. A. O. R. M D C C L X X I.











Fd 2287

X 2284284

Vd 18

nc





21  
22

VIRO CLARISSIMO  
IOANNI IACOBO GRIESBACH

PHILOS. ET LIBERAL. ARTIVM MAGISTRO ET SOCIETATIS  
ACADEMICAЕ PRINCIP. HASSIACAЕ SOC.

INITIVM LECTIONVM SVARVM,  
FAVSTISSIMIS AVSPICIIS INSTITVTARVM  
GRATVLATVRVS

COMMENTATIVNCVLAM

DE

CODICE ALEXANDRINO

SCRIPSIT

FRIDERICVS ANDREAS STROTH

ALVMNOR. REG. INSPECTOR ET SEM. REG. THEOL. SENIOR.



HALAE

LITTERIS HENDELIANIS.

